

2024

/ R/me Domine Abbas. Gavisus sum valde lectis litteris R/mae P.Vrae, quod ex iis cognoverim reformationem monasterii et institutionem novitiorum optime procedere, et Deum nostrum non permis-
sisse, ut tot labores vestri sine fructu manerent. Audivi etiam
5 ab Agente R/mae Paternitatis V/ae duos illos monachos discolos ad eam rediisse, et jam collum jugo subdere paratos esse. Orabo Deum ut istorum conversio seria sit et stabilis, et novitii vestri de virtute in virtutem alacriter procedant, cum solida illorum consolatione spiritali et copiosa mercede R/mae P.V. Ille
10 qui hic remanserat, jam discessit, neque turbas aliquas movebit amplius. Ego quidem Summum Pontificem hortatus eram ut istos duos monachos discolos graviter puniret; sed mitior sententia illi magis probata est, et eventus docuit, ex lenitate magis illos profecisse. His valeat R/ma P.V. et mei memor in sanctis precibus
15 suis. Datum Romae die 4/a Augusti 1618.